

## Werk

**Titel:** Thesaurus Iuris Executivi Rutgeri Rulant, Icti. Quadripartitus

**Untertitel:** Quarum Pars Prima exhibet usum verum executivum, mediante Brachio Eccles lastico, Seculari, Regio, Et Militari, Eorumque imploratione. Secunda, exactam praecipuarum Rerum Civilium tractationem ... Tertia, perfectam manuductionem Executioni Rerum Criminalium inservientem. Quarta, Decem Classes Relationum, Actorum ac Votorum Cameralium praedictis materiis accommodatarum ... Atque Ita His Quatuor Partibus, Non Solum Executionis Materia fructuosissima continentur, sed & diversae per totum ius privatum dispersae materiae videlicet ...

**Verlag:** Author; Weissius

**Ort:** Franfurti ad Moenum; Franfurti ad Moenum

**Jahr:** 1624

**Kollektion:** VD17-Mainstream

**Digitalisiert:** Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

**Werk Id:** PPN755514025

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN755514025>

**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=755514025>

**LOG Id:** LOG\_0003

**LOG Titel:** Illustrissimo Potentissimoque Principi Ac Domino, Dn. Friderico Ulrico, Duci Brunsvicensi Et Luneburgensi, Domino Suo Clementissimo.

**LOG Typ:** dedication

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)



ILLVSTRISSIMO POTENTISSIMO  
QUE PRINCIPI AC DOMINO,  
**DN. FRIDERICO VLRICO,**  
**DVCI BRVNNSVICENSI ET LVNE-**  
**BVRGENSI, DOMINO SVO CLE-**  
MENTISSIMO.



V M multis, Princeps Illustrissime, Domine Clementissime, non minibus me Domui Vestrae Illustrissimæ, & consequenter etiam Cels. Vest. eius tanquam Capiti obstrictum esse sentirem, deq; animi mei erga Cels. Vest. deuotione ac gratitudine Symbolo aliquo vel munusculo seu strena sub noui huius, quem ingressi sumus, anni initio, declaranda cogitarem, varia occurrabant, quæ animum meum in diuersa trahebant. Etenim cum sublime illud, in quo Cels. Vest. constituta est, dignitatis fastigium, ditionumque ac possessionum quibus, à Deo proposita est, amplitudinem opulentiamq; & è contra muneris mei, quod Cels. Vest. offerre cogitabam, exilitatem tenuitatemq;, & publicarum insuper curarum Cels. V. in cumbentium molem considerarem, & quam inconueniens illicitumq; sit grauissimas has Reip. curas interpellare; à proposito meo propemodum absterrebar.

Verum cogitanti mihi & memoria recolenti, Deum opt. max. supremum huius mundi omniumq; creaturarum Dominum omnia in cœlis & terra diuina sua prouidentia gubernantem, curamq; ac sollicitudinem rerum omnium, tam priuatarum, quam publicarum gerentem munera ab hominibus, etiam infimæ conditionis, ad testandam animi gratitudinem, debita cum submissione & humilitate oblata non solum clementer suscipere, sed eorum etiam oblationem in lege seu iure diuino populo suo, pro cuiusq; facultate, præcepisse, & pro offerentium ratione ac facultatibus tam columbas ac turtures, imo & pilos hircorum, quam tauros, agnos, aurum item & argentum, suscipere, gratumq; habere, nec tam munieris quod offertur, quam animi quo offertur, rationem habere. Et maximos etiam Reges, mundique Monarchas dona huiusmodi chartacea ipsis oblata non respuisse, nec grata solū habuisse, sed ea offerentes summis etiā præmiis affecisse, quemadmodum Alexandrum Magnum legimus, Historiam animalium ab Aristotle præceptore suo sibi oblatam, non solum clementer suscepisse, sed eum etiā eius nomine octingentorū talentorū præmio remunerasse. Et Apelli quoq; celebri isti pictori ob effigiem eius artificiose depictā, viginti talenta largitum esse; in proposito mirificè confirmatus fui, Vestrae q; Princeps Illustrissime, Cels. munus hoc chartaceum, ad testandam animi mei erga Cels. V. deuotionem, offerendū duxi, ea spe fretus, cum Dei in terris ac ditionibus sibi subiectis vicem gerat, Eam

EP I S T O L A

ad ipsius exemplum munus leuidense seu strenuam hanc exiguum, non aspernaturam, sed considerata animi mei, quo offertur, deuotione, id clementissime suscepitur, gratumque & acceptum habituram.

Neque enim, si materiam, quam munus hoc complectitur, consideremus, id viro Principe in Reipub. & iustitiae administratione constituto plane indignum esse existimo. Agitur enim in hoc opere de Executionibus, finem omnibus controversiis imponentibus, & iura ac leges in vigore suo conseruantibus. Certumque est, Deum ipsum, ut omnis iustitiae, ita & legitimè executionis auctorem esse, utpote, qui primam Executionem in primos nostros parentes, postquam mandatum eius transgressi essent, exercuerit, è paradyso eos eiiciendo. Et qui etiam in sequentibus temporibus Reges subinde ad exequenda eius in Impiorum iudicia suscitauerit, quemadmodum de Assur scriptura loquitur, quod Deus eum in furore suo suscitauerit, Et apud prophetas legimus, cum contra populum suum, ob eius præuaricationem & fœderis ipsius violationem Reges Babyloniarum & Assyriæ saepe excitasse, ad exequendas comminationes ipsius, per prophetas ipsius insinuatæ, & peccata ac præuaricationes eorum vindicandas. Qualem etiam executionem in extremo iudicio peracturus sit Iustissimus ille & summus totius humani generis Iudex, cum

*Dicitur reprobis, ite, venite bonis,  
nemo Christianorum est, qui ex sacris literis cognitum non habeat.*

In comperto etiam est, omnes omnium Magistratum actiones, & iudicia ad unicum Executionis actum dirigi, idque siue belli siue pacis tempus consideremus. Bellum enim suscipitur, ut pax conseruetur vel recuperetur, vel ut Cicero lib. 1. offic. inquit, ut in pace sine iniuria viuamus, nec recte expeditum censetur, nî executioni omnia demandentur, quod recte Imperator Iustinianus in proœmio Instit. his verbis expressit; *deuictis ac debellatis hostibus, ac triumpho inseculo;* quod præ cæteris eleganter explicat & è media antiquitate eruit Anton. Pichardus, Hispan. num. 21. Tempore autem pacis, nonne omnes leges omniaq; edicta, quæ circa politiam versantur, inutilia inaniaq; habentur, nisi legitime executioni demandentur? Quo respiciens Aristoteles, homini incontinenti similem ait esse ciuitatem, quæ leges tulit bonas, sed ii exequendo non vtitur. cap. 10. lib. 7. Ethic.

Adhæc ut ad Cels. Vest. proprius accedamus, omnium legum obseruantiam & executionem, ad principem & Magistratus pertinere, nemo opinor est qui ambigat, & nuper id anonus quidā pluribus deduxit, *in tract. de statu Polit. & Civili,* fol. mihi 581. lib. 6. Princeps namque & magistratus dicuntur lex ipsa viuens & loquens, teste Ioanne Ferrario, *de Republ. instituend. cap. 1.* fol. mihi 138. & Executores legis, ut ait Simanca, *de Republ. lib. 4. cap. 17. nu. 8.* Vnde, ut res exemplo illustretur, Græci & Indi ex eo laudantur, quod suarū legum fuerint obseruatiissimi, Herod. lib. 3. fol. 173. idq; ne communes Regni clades sequantur. Nam, ut in Elegia ait ille

*In uehit heu quantas legum violatio clades!*

Et Plato in Chintia, Interitū esse paratum illi Ciuitati video, in qua non lex magistratui, sed legi magistratus præsunt; quibus assentitur Osorius libr. 7. de Regim. Princip. hisce verbis: *Vbi primum leges conculcari, iura perfringi, iudicia rescindi, magistratus contemni coeperunt, imperium tandem labi coepit, atq; tandem extinctum & deletum fuit: quod ego ante annos viginti octo (utinam falso) de nostra Germania vaticinatus sum in tract. de Comm. c. 20. lib. 2. n. 2. p. 1.* Ecōtra vero, Respub. Executioni sedulo insistens, non solum laudatur, sed & eam florere constat, quod interalia notauit nuper Garsius Mastrill. *de magistratibus, c. 3. lib. 3. n. 134.*

Hinc

## DEDICATORIA.

Hinc legimus apud Pausaniam, in Messenicis, Atheniensem Rempublicam magnos habuisse progressus, eo quod religiosissime leges obseruarit. Et Lacedemonii non tam de Legibus fuerunt solliciti, quam de earundem obseruantia & cultu. Vnde Legatus Atheniensis, cum Spartā domum reuersus, interrogaretur à Senatu, quomodo Spariani Rempubl. suam administrarent, funem, furcam, gladium secum in Curiam attulit, & iis ostensis, in his positam esse salutem Ciuitatis, hasce leges Spartanorum esse dixit.

E foro prudentiae ad forum Iustitiae si transeamus; In genere rescribitur, ab Imperatoribus & Legumlatoribus, quod frustra ferantur leges & sententiæ, nisi iudicata denique & executioni mandentur, & Philosophus in c. Politicor. præclarum scriptum reliquit, nihil prodeßerebus iustis iudicia dare, vel sententias ferre, nisi sint, qui hæc ipsa legum imperata, ad effectum deducant, & in l. 2. §. post originem ff. de Orig. Juris. scriptum extat, non sufficere, Iura in Ciuitate exstare, nisi sint qui ea exequantur: Magistratus igitur ne sit campana sine pistillo, sententias per se latas executioni mandabit. l. executorem. C. de execut. Rei iudicat. vnde ego in tractatu de commissionib. cap. 20. num. 3. lib. 2. tradidi Iustitiam magis consistere in Executione, quam ordinatione, per text. proverb. 22. qui mandatum cito exequitur statbit coram regibus; Nec iam dicta ratione carent, cum per Executionem auctoritas magistratum (qui proprie executores dicuntur. dict. §. post originem,) conseruetur, & è contra in comperto sit, nihil magistratum contemtui & despectui magis exponere, quam quod sententias executioni mandare curæ non habet, Jacob. Tonning. Consil. 27. incip. decis. num. 6. vol. 1. quæ ideo à me referuntur, vt huic defectui, quem hoc nostro seculo, vna cum aliis vitiis, grassari & exuberare videmus, quantum fieri potest, obuiam eatur, de quo amicus noster, Christophorus Befold. in polit. lib. 2. cap. 2. hisce verbis conqueritur: Sane ab initio Mundi, nullum aliud adhuc hodie regnum vel Republica fuit, ubi sub specie Iuris magis periculoſe erretur, ita iustitia opprimatur, rerumque iudicatarum executio impediatur, quam nunc fieri solet, postquam ius renatum, & quasi è Cælo delapsum esse nobis imaginamur: hocque critirion est Babylonica confusionis, nunc vbiique, etiam inter literatos, imperium obtinentis.

Hisce insuper accedit, quod hæc materia omnes Status & Ordines, & quidem maxime in excelsiori loco constitutos, concernat, Ecclesiasticos scilicet & seculares; de quorum præminentia (vt ex Tractatu meo de inuocatione vtriusque Brachii patet) prima plerumq; solet esse quæſtio; Quæ vt grauis & frequens, ita & vetus est: antiquam enim æmulationem inter Sacerdotium & Regnum esse, testatur Adamus Contzen lib. 6. polit. cap. 3. §. 2.

Cum etiam hæc executionis materia longe lateq; pateat, & circa totum pene ius occupetur, vixq; vlla sit eius pars, quæ executionem non requirat, vt conten-tahuius Thesauri satis ostendunt. Et in hoc opere ius principibus vere proprium, & quidem sumimum, tractetur, ac Iurisdictionis Brachia, tam pacis quam belli tempore rite legitimeq; adhibendi fundamenta in eo tradantur, id certe quo ad eius materiam, vt viro principenon indignum esse, ita & Cels. V. proprie conuenire existimo.

Vt enim de primo membro, Brachio videlicet seculari, agam: nonne illius exercendi occasio latissima in Consistoriis Cels. V. quotidie occurrit, Celsitudoq; Vest, rogata seu requisita, id, vt & alii Principes Imperii seculares, (vel ipsa ordinatione Brandenburgensi teste Tit. 1. part. 1. §. 27.) impartiri solet.

Ciuilium item rerum executiones si spectemus, Annon eæ in curiis Cels. Vest. sunt frequentissimæ? Criminalium autem rerum executiones, Regiumque circa

EPISTOLA DEDICATORIA.

cas ut plurimum occupatum brachium quod attinet, nescio an illustriora eius exempla, quam à Cels. Vest. in monetæ adulteratores nuper exhibita sunt, in medium produci possint. Cum enim non ita pridem, prædominante per totam fere Germaniam Marte, patriam nostram proh dolor adhuc afflidente, & silentibus, imo iacencibus prope legibus pestilentissimum genus hominum (quos non inscite fœtum diaboli, sanguisugas, sacrilegos, fures, & **ungehangene Landiverder** ber vocitarunt; ego vero cum Iurisconsultis improbores furibus, indignitate rei, & damno ab iis mihi illato permotus, appellare consueui) in omnibus fere prouinciis emersisset, non solum priuatorum, sed & Regum ac principum facultates locustarum Ægyptiacarū, vel (vt cum Polybio lib. 6. fol. 580. loquar) ignis instar, ita depascentes, vt iis cohibendis principum ac ciuitatum vires pares esse non viderentur, multorumq; iudicio dulcissimæ patriæ nostræ plus damni, quam bellum ipsum inferrent; Nonne, postquam Deus Opt. Max. Viduarum, orphano- rum ac pupillorum lachrymis permotus, principum procerumque Imperii, ma- xime vero Circuli Saxonici inferioris, vbi radix quasi huius mali defixa videba- tur, animos eo inflechteret, vt remedia noxio huic malo adhibere adlaborarent; Cels. V. non postrema, sed inter primos operi huic laudabili manum admouit, & seuoris Edictis & executionibus malum hoc reprimere & cohibere aggressa est? Laudabili quidem exemplo, sed tamen cum aliis communi. Illud autem maius & Cels. V. proprium, quod non solum fucum hunc opprimere, sed & radicitus cum ipso fauo, (vt cum Platone lib. 8. de Republ. loquar,) penitus excindere elabora- uit, idq; regia tam regide & seuere contra authores exercita executione, vt nulli fonti, ne ipsis quidem magnatibus parcitum sit. Quæ res, vt patriæ, & Cels. Vest. subditis salutaris extitit, ita merito summis laudibus euehenda, & nullis conti- cenda seculis. Sed ne longiori oratione Cels. V. molestus sim, Quod reliquum est, eam ea, qua par est, submissione oro, vt munusculum hoc meum, deuoti in Cels. V. animi testimonium, serena fronte fuscipere, & contra malevolos, po- tentiæ & authoritatis suæ clypeo defendere, meq; simul clementiæ & fauoris sui aura complecti ac prosequi non dedignetur, Deum omnis boni largitorem inti- mis votis ac precibus rogans, vt Cels. Vest. quam diutissime sospitè conseruare, eiq; nouum hunc, quem ingressi sumus, annum, cum omnibus sequentibus, di- uina sua benedictione cumulare, felicemq; ac faustum reddere velit. Cuius tu- telæ ac protectioni Cels. Vest. humiliter commendando. Scriptum ipsis Calendis Ia- nuarii Anno reparatae salutis 1624.

Celsit. Vest.

Humiliter & reuerenter colens

RUTGER. RVLANT. JCT.

AD LE-